



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

VII. Quod descendere ad inferos non sit omnino extingui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

CAPVT VII.

*Quod descendere ad inferos, non sit omnino
extingui.*

PRIMA sententia est, quod descendere ad inferos sit penitus interire & extingui. BRENTIVS in Catechismo anni M. D. LI. dicit, descendere ad inferos, esse penitus interire. Et in caput 2. Actor. introducit Christum sic loquentem: *Descendam in infernum, sentiam dolores inferni, & planè perissem & videbor.*

Item CALVINVS in psychopannychia volens probare, animas iustorum post discessum à corpore non dormire, id est, non extingui, vt quidam Anabaptistæ aiunt, quos in toto libro refellit: probat ex anima Christi, quæ post separationem à corpore non est extincta; nec absorpta à morte, sed immortalis mansit. Ex hoc dicit significari illis verbis Actor. 2. *Non derelinques animam in inferno. Hac nobis, inquit, certissimam fidem faciunt, Christum extingui morte non potuisse, etiam secundum hominem. Vera mors fuit corporis & anima solutio; Ceterum anima vitam suam nunquam perdidit, qua Patri commendata, non poterat non salva esse. Id volunt Verba ex concione Petri, quibus affirmat, impossibile fuisse, teneri ipsum à morte, Et Scriptura impleteretur, quoniam non derelinques animam meam in inferno. Nam anima eius diuina virtute suffulta est, ne in perditionem rueret, & corpus eius in sepulcro seruatum ad resurrectionem, &c.*

Videtur certè hoc loco Calvinus, per infernum intelligere perfectam extinctionem animæ. Probat enim, animam Christi in morte corporis non fuisse extinctam, quia anima eius non fuit absorpta ab inferno. Quid igitur est Caluino, absorberi ab inferno, nisi animam penitus extingui? Sed paulò post id ipsum clarius declarat. sic enim ait: *Præbet & nobis aliud argumentum immortalitatis anime sue, cum Ionam triduo immersum in ventre ceti, mortis sue typum constituit. Venter ille mors est, animam igitur saluam in morte habuit. Et infra probat ex sacrificio Isaac; Quid est, inquit, quod*

Isaac non moritur, nisi quia, quod proprium est homini, mortale Christus præstitit, hoc est, animam? Anies? Sed animal irrationale, qui in eius locum ad mortem substituitur, corpus est.

Hæc sententia non eget refutatione, nam est fundamentum Atheismi. Si enim Christus, quia diuinitate suffultus erat, animam immortalem retinuit in morte corporis, ergo ceteri homines, qui nō sunt suffulti Diuinitate, in morte penitus extinguuntur: Non igitur anima humana est immortalis.

DICET fortassè, pios non extinguere in morte, quia pro se & pro suis Christus mortem vicit. Ergo saltem omnes impii extinguuntur penitus. & hoc est descendere in infernum. NEGAT id in fine libri Calvinus, vbi asserit, etiam impios viuere post mortem, licet in pœnis. At hoc non bene coheret cum superioribus. aut enim ipse non bene probat, Christi animam mansisse immortalem ex eo, quod Diuinitati coniuncta, non est permessa ruere in infernum, aut certe loquitur, animas impiorū, quæ in infernum ruunt, placere extingui. Præterea S. Petrus, Act. 2. non dixit, Christus non fuisse in inferno, sed non ibi longo tempore retentum. Et in Symbolo nōne legimus: *Descendit ad inferos*? ergo descendere ad inferos est interire, etiam Christi anima interiiit, licet postea fuerit excitata. at hoc ipsum est, quod voluit Anabaptistæ. Igitur Calvinus sententia & seipsam destruit, & atheismo viam aperit.

CAPVT VIII.

CHRISTVM non pertulisse penas damnatorum.



ALTEA sententia est eiusdem Calvinus libro Institut. cap. 16. §. 8. 9. 10. 11. & 12. in Catechismo paruo; in psychopannychia, & in harmonia Evangelica ad caput 27. Matthæi, vbi docet, Christum dici descendisse ad inferos, quia passus est dolores animarum damnatarum.

Vt autem id facilius intelligatur, quædam annotationes